

## **EPISTOLA AD CUSTODES I [EpCust I]**

<sup>1</sup> Universis custodibus fratrum minorum, ad quos littere iste pervenerint, frater Franciscus in Domino Deo vester servus et parvulus, salutem cum novis signis celi et terre, que magna et excellentissima sunt apud Deum et a multis religiosis et aliis hominibus minima reputantur.

<sup>2</sup> Rogo vos plus quam de me ipso quatenus, cum decet et videritis expedire, clericis humiliter supplicetis, quod sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et sancta nomina et verba eius scripta, que sanctificant corpus, super omnia debeant venerari. <sup>3</sup> Calices, corporalia, ornamenta altaris et omnia que pertinent ad sacrificium, pretiosa habere debeant. <sup>4</sup> Et si in aliquo loco sanctissimum corpus Domini fuerit pauperrime collocatum, iuxta mandatum Ecclesie in loco pretioso ab eis ponatur et consignetur, et cum magna veneratione portetur et cum discretione aliis ministretur. <sup>5</sup> Nomina etiam et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari. <sup>6</sup> Et in omni predicatione quam facitis, de penitentia populum moneatis, et quod nemo potest salvari, nisi qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini (cfr. Joa 6,54). <sup>7</sup> Et quando a sacerdote sacrificatur super altare et in aliqua parte portatur, omnes gentes flexis genibus reddant laudes, gloriam et honorem Domino Deo vivo et vero. <sup>8</sup> Et de laude eius ita omnibus gentibus annuntietis et predicetis, ut omni hora et quando pulsantur campane semper ab universo populo omnipotenti Deo laudes et gratie referantur per totam terram.

<sup>9</sup> Et ad quoscumque fratres meos custodes pervenerit hoc scriptum, et exemplaverint et apud se habuerint, et pro fratribus qui habent officium predicationis et custodiam fratrum fecerint exemplari, et omnia que continentur in hoc scripto predicaverint usque in finem, sciant se habere benedictionem Domini Dei et meam. <sup>10</sup> Et ista sint eis per veram et sanctam obedientiam. Amen.